

1351

CODICES

1352

tatur, M. Pauli (Leubman) de Mellico Theol. et A. L. Doctoris, Decani et Canonici Vien. extincti a. 1479. praemisso Operis Elencho hunc exhibet Titulum: *Incipit dyalogus qui vocatur scrutinium scripturarum compositus per Reverendum p. dominum Paulum de sancta Maria magistrum in theologia episcopum Burgen. Archicancellarium Serenissimi principis domini Jo. regis castelle et legionis quem composuit post addiciones per eum compositas ad postillam nicolai (de Lira) Anno domini M^o CCCC^o XXX^o etatis uero sue anno LXXXI.* Idem paene repetitur ad calcem Operis, de quo egi *Vol. super. P. II.* Atque hae Hederæ etiam primis ejus Editionibus adpensa sunt.

Fol. 229. sequitur Conspectus omnium Capitum V. T. hoc rubro: *Incipiunt tituli in libro genesis. Ad calcem minio: Expliciunt sententie 2ⁱ libri Machabeorum, in hoc finitur vetus testamentum, et hoc registrum Biblie pro studentibus pauperibus valet.* Certe illo tempore, quo Ars imprimendi Librorum pretium nondum immiuerat. Quod non perpendunt, qui de neglectu sacrarum literarum illius aevi paratragediant.

DCI.

R. 46 Codex chartaceus germ. Sec. XVIII. Folior. 35. 4. Scriptum polemicum est *Joh. Ernesti Perring Pragensis* aetatis anno 11. ab Judaismo ad Sacra Christ. Catholica transgressi nullo anni, quo il-

lud concinnavit, indicio: *Capitibus XVII.* definitur, agitque primum de Praeceptis Decalogi, tum de praecipuis Fidei Christianae Articulis, ostendendo, quomodo illa a *Judaeis* parum cognoscantur, et obseruentur, hi vero contentui et odio habeantur. Non pauca de illorum tanguntur Riti- bus, congesta ex aliorum *Προσηλυτων* Scriptis, ut videtur, quid enim Puer undennis *Hebraeus* apud Sues discere aut soleat, aut possit, novimus. Multa praeterea, ad captandam fortasse Hospitum benevolentiam, exaggerata sunt. Accedunt Mantissae loco Excerpta e noto *Sam. Frid. Brentii* Libro, qui inscribitur: *Der jüdische abgestreifte Schlangenhalg*, et lucem vidit *Norimb. 1614.* impugnatus a *Sal. Zevi*, et defensus a *Joh. Wulfero.*

DCII.

Codex chartaceus hisp. Sec. R. 34 XVII. Folior. 232. f. hunc jaetat titulum: *Obras del Doctor Yshack Orobio de Castro Alias Don Bathasar Catedratico de Metaphisica y Medicina en las Vniuersidades de Alcala y Seuilla Medico de la Camara del Duque de Medinaceli y de la Familia de Borgoña del Rey Phelipe quarto, professor Publico del Rey de Francia, en la ynsigne Ciudad de tolosa y su consejero Mayor.* Non dubito eundem esse Codicem, qui voeniit a. 1715. *Hagae Comit.* cum Bibliotheca *Sarraziana*, ita omnia, quae de eo in ejus *Bibl. Catalogo p. 21.*